

Abbatis I. Panhausen Commentaria in «Regulam» S. Augustini

Dubium non est sic dictam «Regulam» S. Augustini, episcopi Hipponensis, inde ab incunabilis Ordinis, in Ordine Praemonstratensi habitam esse veluti codicem fundamentalem vitae regularis, iuxta quam sodales Ordinis vitam suam instituere ac ordinare deberent. Iam in *Vita Norberti* A¹⁾ legimus: «Apostolica enim vita quam in praedicatione iam optabat (Norbertus) vivere, quam utique ab eodem beato viro (scilicet: Augustino) post Apostolos audierat ordinatam et renovatam fuisse». Et in Bulla S. Pontificis Honorii II (1126), qua fundatio Ordinis authentice confirmatur, testatur S. Pontifex: «... Quia igitur vos religiose vivere et canonicam vitam secundum Beati Augustini institutionem ducere, inspirante divina gratia, decrevistis...»²⁾.

Currente historia Ordinis, semper et constanter ad illam «Regulam» recursus factus est, potissimum quando, ob gravamina occurrentia, reformatio positiva necessaria aut opportuna visa est. Mirum proinde non est plures extare expositiones, impressas vel qua manuscripta in Archivis latentes, a pluribus Praemonstratensibus, tum veteribus, tum modernioribus confectas esse. De ratione qua S. Augustinus eiusque doctrina in historia Ordinis supervixerit scite et magna cum eruditione scripsit A. HUBER, *Das Fortleben des hl. Augustinus bei den Prämonstratensern in Augustinus*, Averbode, 1954, pp. 81-116. Nos ipsi in Congressu internationali Romae celebrato anno 1956, de eodem themate, summaria expositione, proposuimus: *Sanctus Augustinus et spiritualitas Praemonstratensium*. In: *Sanctus Augustinus, Vitae spiritualis Magister*, Romae, 1958, pp. 221-244. In qua expositione nos limitavimus ad ea quae, decursu temporum, proposita sunt, potissimum ab iis qui variis occasionibus directionem generalem Ordinis recte reformandam et ordinandam indicant, tum verbo, tum opere.

Obvium proinde erat a pluribus Praemonstratensibus, occasione

¹⁾ *Vita A Norberti* in *Monumenta Germaniae Historica, Scriptores*, XII, p. 683.

²⁾ Textus huius Bullae habetur apud J. LE PAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 392; *Statuta Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis 1630*. Ed. Averbode, 1898, p. VII.

dicta, publicata esse, quae recte uti commentaria Regulae haberi possunt ac debent. Plura ex illis Commentariis nota sunt; partim etiam impressa fuerunt. Scribit recte sub hoc respectu H. HEIJMAN in *Augustiniana*, Averbode, 1930, p. 122 S.: «Percurrendo bibliographiam Ordinis L. GOOVAERTS³⁾, annotavimus nomina sodalium Ordinis qui tales Commentarios scripserint et quorum commentaria ad nos usque pervenerint». Citat Heijman, ibidem, 16 nomina personarum. Quae scripta partim asservata sunt in manuscriptis, partim impressa prosunt. Auctores illi pertinebant ad regiones Angliae, Galliae, Belgii, Germaniae, Hispaniae, Austriae, Neerlandiae. Additque: deest, in hoc brevi catalogo, mentio Helvetiae, Hungariae, aliarumque regionum Europae orientalis, in quibus regionibus olim Ordo plures abbatias habebat.

De origine praecisa sic dictae «Regulae S. Augustini» parum vel nihil in Commentariis illis habetur. De caetero, quaestio historico-critica de origine vera et adaequata huius scripti brevis, «Regula» dicti, potius temporibus modernis instituta est. Hancque quaestionem in praesenti pressius non consideramus. Sufficiat, hac in re, hic paucis repetere ea quae proposuimus l. c.⁴⁾, p. 230: «Aliquid saltem dicendum est de forma speciali sub qua Regula Augustini in familia nostra religiosa tradi solet. Quaestiones non paucas, quae recentissimis potissimum temporibus de vera origine «Regulae S. Augustini» motae sunt, tangere in praesenti non debemus. In memoriam revocasse sufficiat Regulam Augustinianam uti nostris temporibus legi solet, apud nostrates indicari uti «Regulam tertiam», quae potius indolem stricte spiritualem induit, potius consilia praebet, quam organizationem stricte coenobiticam, quae magis in sic dicta «Regula secunda», seu «Ordine monasterii» invenitur. Regula ista, secundum dicta, incipit notissimis verbis: «Ante omnia, diligatur Deus, deinde proximus». Vitam-seu descriptionem litterariam vitae Norberti veterrimam accurate perlegendo, concludendum videtur regulam istam — secundam dictam — certo notam fuisse Fundatori. Eadem haec Regula — secunda — postea per plura saecula, in officio quotidiano capitulorum praelegere solebant confratres nostri; postea e libris liturgicis haec regula «secunda» disparuit; unice regula «ter-

³⁾ L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*. 4 t. Bruxellis, 1899-1917.

⁴⁾ Cfr. *Sanctus Augustinus et Spiritualitas Premonstratensium in Augustinus, Vitae spiritualis Magister*, Roma, 1958, pp. 221-244.

tia» in praxi permansit. Attamen usque ad nostra tempora, in capitulo quotidiano, iuxta divisionem pericoparum praecepuarum regulae augustianae; dominica die, monitum notissimum et maxime momenti pro vita religiosa foeliciter praelegebatur: Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista praecepta sunt principalius nobis data⁵).

Perscrutando Commentaria Praemonstratensium in «Regulam» statim appartet illa Commentaria pertinere ad genus litteraturae sic dictae spiritualis. Ope vel occasione unius vel alterius textus sive pericopae eorum quae in dicta Regula edicuntur vel proponuntur, commentatores illi praecepta et consilia, iudicio eorum aptissima vitae genuine religiosae, exponuntur. Dubium tamen non esse videtur in iisdem «Commentariis» perplura inesse quae vere indicant qua ratione determinata Praemonstratensis Ordinis sodales vitam suam regere ac ordinare debebant. Cumque ulterius constet Commentaria illa concepta ac conscripta esse in circumstantiis historicis, interdum nonnihil diversis, «nuantiae» in illis facile deprehendi manifestum est.

Non soli Praemonstratenses profecto «Regulam» illam uti substratum fundamentale suae spiritualitatis habebant et habent. Merito proinde sub hoc respectu notat A. HUBER, l. c. p. 116⁶): «Zwischen Regularkanoniker und Augustinusregel besteht an sich kein innerlich notwendiger Zusammenhang, aber das lange Zusammengehen beider hat unserer geschichtliches Wesenheit ein unauslöschliches Siegel aufgedrückt, und wenn dieses augustinsche Merkmal lebendig hervortrat, dann waren immer hohe Zeiten unseres Ordens». Ex altera parte varii illi commentatores non eodem stilo singuli utebantur. Alii magis sobrie textum «augustinum» exponunt. Alii, uti Abbas Van der Sterre⁷) hic potius faciunt modo quasi panegyrico. Ita

⁵) Cfr. H. HEIJMAN, *Rondom den Augustinus-Regel in Augustiniana*, Averbode, 1930, pp. 109-111; 121 s.-G. VAN DER VELDEN, *De voorlezing van den regel van St. Augustinus in Anal. Praem.*, 1933, t. IX, pp. 148-156.

⁶) A. HUBER, *Das Fortleben des hl. Augustinus bei den Prämonstratensern in Augustinus*, Averbode, 1954, pp. 81-116.

⁷) Relate ad abbatem Van der Sterre, abbatem S. Michaelis Antverpiensis (1591-1668), cfr. L. GOOVAERTS, l. c., t. II, pp. 287-295; N. WEYNS, *Johannes Chrysostomus vander Sterre in Nationaal Biographisch Woordenboek*, t. IV, Bruxellis, 1970, col. 783-789; *Jean-Chrysostôme vander Sterre, abbé de Saint-Michel d'Anvers in Anal. Praem.*, 1972, t. XLVIII, pp. 92-123.

Van der Sterre laudem S. Augustini extollit in suo Hagiologio, ad festum nempe S. Augustini : «Augustinus, doctor doctorum..., abysus sapientiae, ascetarcha maximus, a nullo hactenus satis laudatus, nec laudandus a posteris..., cuius coelestem doctrinam secundum Patrum statuta semper sequitur et servat Ecclesia, hunc sanctissimum patrem... et legislatorem suum merito gloriatur et colit candidus ac sacer canonicorum Praemonstratensium Ordo».

Saeculo decimo sexto in Ordine Praemonstratensi, sicuti in genere in Ecclesia, potissimum in regionibus Europae hodiernae, crisis profunda ruinas spectabiles attulerat. Concilium Tridentinum (1545-1563) vitam ecclesiasticam genuinam sub vario respectu reanimare valide studuit. Ac «reformationem» positivam attulit. Etiam in Ordine Praemonstratensi, meritis potissimum et conatibus Abbatis Generalis Despruets (1573-1596) illa «reanimatio» actu et doctrina introducta est. Despruets sane coadiutores strenuos in variis regionibus, in quibus Ordo tunc subsistebat, paulatim sibi devincire potuit. Speciali mentione sub hos respectu dignus est Abbas Steinfeldensis, Iacobus Panhausen (1540-1582). Paucis decursum vitae huius Abbatis perstringendo, haec dici possunt :

Natus versus a. 1500 in pago Opoeteren (in Belgio hodierno), Abbatiae Steinfeldensis, cui qua canonicus erat aggregatus, abbas electus est a. 1540. Eodem anno, praedecessor eius, Simon von Diepenbach constitutus erat Vicarius Generalis Circariarum Westphaliae, Vadegotiae, Iveldiae, Norvegiae, Saxoniae, Poloniae, Moraviae et Sclavoniae. Idem munus, anno 1549, committitur Abbati Panhausen. Testatur de hoc Abbate, C.L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 862 : «Inter tumultuantium saecularium strepitus, electioni sese immiscere volentes, Abbas eligitur a Fratribus... Pro meritis eundem renuntiavit (Capitulum Generale) Vicarium Generalem Provinciarum Westphaliae, Vadegotiae, etc. (sicut constitutus fuerat antea praedecessor eius). Quanta autem procuraverat Ordini bona, vir doctrinae apprime excultus, et Doctorum maecenas, tenax disciplinae et vitae regularis propagator, in laboribus indefessus, et in opere efficax...». In variis negotiis Ordinis ordinandis, Panhausen muneribus sibi concreditus zelose perfunctus est. Cum eo tempore reorganisatio dioecesium in Neerlandia necessaria visa est, strenue sese interposuit ad hoc ut abbatiae Ordinis non integrarentur iis novis dioecesibus erigendis. Etiam hoc testatur HUGO, *l.c.*, I, coll. 326-330; II, coll. 53-58.

Postea, anno 1575, occasione difficultatum ortarum in parthenone Praemonstratensium monialium in Houtem, abbas Generalis Despruets ipsi litteras misit: «Mandantes Reverendo Domino Iacobo van Panhuys, Vicario nostro, ut te foveat et defendat adversus dictum fratrem Portzen (praepositum amotum) et alios aemulos, et compellat nostra auctoritate omni via et iure brachii saecularis, si opus sit, dictum fratrem Portzen ut reddat omnia diplomata et cartas domus, quas ad dictum Locum tutum se asportasse propter bella, iuramento etiam interposito, coram praefatis patribus abbatibus asseruit»⁸⁾.

Cum in praesenti nullo modo biographiam Abbatis Panhausen conficere intendamus, sed potius examinare quidnam Abbas Panhausen revera in suis commentariis in varios libros S. Augustini, speciatim in «Regula» quaesierit et invenerit, ita in genere dici potest: «Regula» Augustini est velut speculum in quo religiosi quaerere debent et invenire possunt ea elementa quibus vitam suam religiosam genuinam recte ordinent. A limine hoc manifestum esse videtur: In «Regula» in vanum quaereretur directio iuxta quam cura animarum, quomodocumque illa accipiatur, describitur. Contentum substantiale «Regulae» exhibetur in propositione qua textus exorditur: Ante omnia, diligatur Deus, deinde proximus. Quia haec sunt principaliter nobis data¹¹⁾.

Ad hoc ut vere sciamus quid et qua ratione Panhausen loquatur de «Regula», opera eius, foeliciter asservata, prae manibus sumi debent. Quod fecimus, in manus sumendo volumen manuscriptum, asservatum in archivo Abbatiae Averbodiensis, sect. IV, 330. Manuscriptum illud scriptum dicitur a canonico Steinfeldensi, Hermannno a Norvenich. Et quidem, uti iste scriba testatur, fol. 264, in fine totius operis: «Anno 1575. Decoll. Ioan. Baptistae (29 augusti). Scriptus p(er) Hermannnum a Norvenich». Liber, seu volumen, folia 274 continet, nitidis litteris conscripta. In pag. 2 involucris, habetur haec indicatio (quae videtur provenire ab ipso Panhausen) «II, P.A.S. 1575 me transtulit, et dono dedit Conventui Steinfeldensi». Praeterea, fol. 17 v^o, habetur «Carmen ad lectorem». En tenor huius carminis

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura.

Sed nihil hic chare puer quod laedere possit.

⁸⁾ Litterae abbatis generalis Despruets huc spectantes habentur apud P. E. VALVEKENS, *Acta et Documenta Joannis Despruets in Anal. Praem.*, 1954, t. XXX, p. 261 s.

Omnia sunt dudum sanctis doctisque probata.

Nunc secure potes virtutum carpere flores.

Est legum servanda fides suprema voluntas,

Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est ».

1570.24 Iunii.

Carmen istud, ab alia manu quam a Hermanno a Norvenich (ab ipso Panhausen?), refertur in fine Praefationis in Regulam Divi Aurelii Augustini Hypponensis Episcopi.

In initio operis habetur titulus generalis :

Commentarii breves atque peritiles in Regulam B. Aurelii Augustini Hiponensis Episcopi, quam scripsit suis clericis iam Episcopus ordinatus, summo studio ac labore per quendam regularem canonicum monasterii Steinfeldensis, Ordinis Praemonstratensis ac ad Dei omnipotentis gloriam, suorum confratrum profectum et utilitatem exhibiti, quibus erga ipsos suam cupiens testatam relinquere benevolentiam atque promptissimam voluntatem, operis atque laboris huius foetum dedicat et tuendum committit. 1573.

Volumen istud manuscriptum varias expositiones plus minusve protractas continet. Quae quidem omnes et singulae unum eundemque scopum prae se ferunt : zelum pro vita religiosa serio concipienda et in praxim deducenda. Directe oblatum est opus sodalibus monasterii Steinfeldensis, cuius erat Abbas.

Variae hae tractationes vel tractatiunculae tendunt ad unum scopum : vivum retinere ac fovere contentum ac indolem genuinam vitae regularis. Percurrendo textus, obvium est auctorem Panhausen considerationes suas proponere, partim ex principiis sanae vitae religiosae, partim vero ex iis quae expertus est in functione sua abbatiali.

Titulos variarum partium collectionis indicamus :

1. (fol. 1 v°) : Ad pium lectorem.
2. (fol. II-VI v°) : Index eorum quae in libello hoc continentur cum summa diligentia in ordinem redactus, quatenus lector iuxta animae suae desiderium scrutando scripturas, faciliorem ad quaeque invenienda habeat aditum, incipit foeliciter. (An index iste confectus sit ab ipso Panhausen, vel a scriba manuscripti, non indicatur).
3. (fol. VI-VIII v°). Additiones nonnullae in sequentem. B. Aurelii Augustini Hypponensis Episcopi vitam pro maiore eius elucidatione ex libris Confessionum diligenter adiectae.
4. (fol. 1-10 v°). Vita praeclarissimi et incomparabilis Ecclesiae Doctoris, invictissimique propugnatoris D. Aurelii Augustini pres-

byteri, nec non Hypponensis Ecclesiae episcopi, summa diligentia ex libris Confessionum eiusdem et aliorum non aspernendae doctrinae hominum lucubrationibus, imprimis Possidii Calamensis episcopi, in compendium per f. quendam monasterii Steinfeldensis alumnus redacta.

5. (fol. 11-17 v^o). Praefatio in Regulam Divi Aurelii Augustini Hypponensis episcopi.

6. (fol. 17 v^o). Carmen ad lectorem.

7. (fol. 18). Ad pium et studiosum lectorem per eundem.

8. (fol. 19-184 v^o). Commentarii in Regulam D. Aurelii Augustini Hypponensis episcopi quam scripsit clericis suis iam episcopus ordinatus, per eundem ut supra.

9. (fol. 186-212). Annotationes breves seu verius collationes scripturarum correspondentium in Regulam B. Augustini Iponensis episcopi, per eundem, ut supra, in quibus aperte convincuntur inimici christianae religionis qui affirmare conantur regulas Patrum esse meras hominum constitutiones et nugas, cum tamen firmissime ex Dei verbo constant, uti in singulis paragraphis patebit ex ordine. 1573.

10. (fol. 212 v^o). Ad lectorem pium.

11. (fol. 213-224 v^o). Ad praelatos et subditos pia exhortatio, desumpto argumento ex verbis: Quis ascendit ad montem Domini, etc., in qua abusus et vitia nonnulla, tum praelatorum, tum subditorum notantur. Eodem auctore.

12. (fol. 225 v^o-226). Carmen lugubre ad Deum Patrem optimum maximum.

13. (fol. 227-243). De commiseratione erga proximum, dilectione atque eleemosyna.

14. (fol. 244-264). Tractatus de monasticae vitae cultoribus atque religiosorum et quam potissimum ob causam haec religio instituta est et unde suam originem traxerint, contra Ioann. I, cap. 2.: Omne quidquid est in mundo, concupiscentia carnis...

15. (fol. 264 v^o – 274 v^o). Tractatus quod murmur et detractio abominatio sunt coram Deo et hominibus, inde de mandacio et septem peccatis compendiose in ordine redactis.

Personalialia de ipso auctore Panhausen perpauca vel nulla in his commentariis deprehenduntur. Excepto tamen nr. 12, cuius inscriptionem modo indicavimus. In eo refertur Carmen lugubre. Additur, scriptura propriae manus, uti videtur, ipsius auctoris, annotatio: Pro

negligentiis admissis, deprecatio supplex. Carmen istud hic subiungimus :

Carmen lugubre ad Deum Patrem opt. max.
Infelix nimium pastor, custosque peculi
Dum curam geris, omissa privata requiro
Mox imbellis pecus per inertia saxa recurrit
Per segnes agros, sine fontibus undas
Heu pecus infelix macer est grex ilia trahit
Atque dies multos vacuis ieiunat in arvis.
Sed quo(!) mente feror; sunt haec monumenta doloris.
Nostri (ut vera loquar) mens est mala conscientia testis
Non pavisse gregem Domini foelicibus herbis.
Nec pecoris scabiem abstraxi, nec morbida membra
Curavi : heu quod sunt pecudes incommoda passi.
O miseranda dies quo talia fanda recurrunt.
Sed nunc post lapsum facit experientia cautum.
O utinam pariter omnipotens mihi proroget annos
Ut male compositos possim componere mores
Et subito in melius mentem convertere pravam.
Ne mihi post cineres maneant suspiria fletus
Dum miser exspecto tristisque Venite vel ite.
Iudicis hoc verbum vae vae dum dicitur Ite
In flammarum pergant ignis maleconscia corda
Territat ut pluto vox haec sine voce venite.
Sed pater omnipotens miserans miserere tuorum
Tu potis es animi morbos et vulnera mentis
Curare, et flammis moestum distrahere corpus
Verbum istud quod amare sonat, terribile auditu
In melius mox alme Deus convertere nomen
Et iubilans aliud resonare, venite, venite.
Cerne precor gemitus nostros, miserere dolentis
Non decet afflictas nimium suspendere mentes.
Pone modum rogo propera hoc me falce levare, et
Cum mihi supremos Rachelis pervenerit annos.
Suscipias ter sancte Deus pia vota Iacobi.
Panhaus, Otterii (= i. e. ex. Oeteren) supplex qui numen adorat
Christum tuum. Da mox animam conscendere coelum
Coelicolas inter turmas requiescere praesta.

Tum tibi perpetuas resonabit in ethere laudes
Et iugiter referet pro munere grates. – 1572.

Uti supra paucis iam indicavimus, nostris diebus inquisitiones factae sunt an et quo sensu «Regula S. Augustini» revera ab ipso Sancto proveniat necne. Quaestio illa non tractatur a Panhausen. Ignota totaliter tamen non videtur fuisse Abbati nostro. Initium faciendo nempe commentarii sui in «Regulam» scribit: «Haec Regula ex sententiis et dictionis figura refert D. Augustinus, quin et pia civilitate humanitateque praefert auctorem suum. Hanc reperiēs in libro Epistolarum D. Augustini 109. Cuius initium sic habet: Sicut parata est severitas, etc. Quidam hanc Regulam (reclamantibus tamen plurimis tam sanctis, quam doctissimis viris) ad virgines sive Monachas scriptam volunt, quae in unum collectae, sub moderatione sororis D. Augustini vivebant. Eam Praepositam vocabant: omnium potestas erat penes presbyterum. Sed esto foeminis sit scripta et tradita: Fundamentum tamen multorum ordinum esse dinoscitur; nec pudeat viros Augustini virtutes imitari atque, referre, ut estimo iure Augustinenses dici atque appellari possint. Fundata est haec Regula supra firmam petram, nempe super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo Iesu» (fol. 19 r°).

Regula D. Augustini divitias spirituales summi momenti praebeet. Audiamus Panhausen commentantem: «Libellus thesaurus est desiderabilis super aurum et omnem lapidem preciosum. Quod vero de loco voluptatis egrediens Ecclesiae militantis irrigans paradysum. Quod vero D. Aurelius Aug. libellum hunc divinae eruditionis et institutionis speculo comparat, non abs re factum existima. In speculo enim vultum nativitatē nostrae habitumque corporis contemplamur, et si quid sordidum, minusque decorum inventum fuerit, mox abluere, detergere et mundare curamus. Si vero pulchri quippiam et decorum visuque delctabile conservare et custodire studemus. Ita quoque in his Canonibus, si non oscitanter eos legerimus, qualis sit nostrae vitae spiritalis cursus conversatio, calidi, tepidi an frigidi in Dei servitio perseverantes simus, facile colligemus. Et tum demum cura nobis sit suprema, ut expurgato veteri fermento, nova simus conspersio, et homo ille interior de die in diem renovetur. Ut mens sana in corpore sano» (fol. 171 r°).

Agnoscit Panhausen ideas a se expositas profundius posse ac debere

penetrari. Scribit in fine totius operis : «Quandoquidem mysterium hoc diligentius quoddam examen et inquisitionem postulat, reliquum est familiae nostrae scholae Steinveldensis examinandum discutendumque relinquimus. Quod si operam suam in hoc tam pio sanctoque negotio fideliter praestiterint (uti non diffidimus), magnam cordi nostro laetitiam, gaudiumque pariet eorum labor et profectus» (fol. 274 v°).

Notare insuper placet abbatem Panhausen persaepe in suis scriptis citare vel ad verbum, vel ad sensum textus S. Scripturae. Locus citationum illarum semper sedulo indicatur in margine laterali expositionis. Loca S. Scripturae tam saepe citari ab ipso proveniunt ex reverentia quam habet auctor erga textus nostros sacros. Audiamus, sub hoc respectu, encomium praeclarum quod describit erga S. Scripturam in genere. Scribit : «Desiderabilis ideo est scripturarum eruditio, quae naturam laudabilem eximie reddit ornatum. Ibi enim prudens invenit, unde sapientior fiat. Ibi bellator reperit, unde animae virtute roboretur. Inde principes atque rectores accipiunt, quomodo populus sub aequitate componant. Ibi ignorans invenit quod discat. Qui contumax est et peccator, invenit ibi futuri iudicii flagella quae timeat. Qui laborat, invenit ibi gloriam et promissionem vitae perpetuae. Qui pusillanimis est et infirmus, invenit ibi mediocres iustitiae cibos. Qui magnanimis est et fidelis, invenit ibi spirituales escas continentioris vitae. Qui percussus est a Diabolo et peccatis vulneratus est, invenit ibi medicinales cibos, qui eum per poenitentiam revocant ad salutem... Quid in hoc speculo inspicimus, quando filii Israel fornicati sunt cum filiabus Madianitarum et percussi fugerunt, nisi quod habeant fornicatores quod pertimescant... Bene igitur B. Augustinus inquit, ut libello hoc tamquam in speculo possitis inspicere». (fol. 172 v°).

Panhausen, utpote S. Augustino huiusque scriptis addictissimus, contentum «Regulae» in genere extollit. Legimus siquidem (fol. 171) : «D. Aurelius Augustinus libellum hunc eruditionis et institutionis speculo comparat, non abs re factum existima... In his canonibus, si non oscitanter eos legerimus, qualis sit nostrae vitae spiritualis cursus et conversatio, calidi, tepidi, et frigidi in Deo perseveranter simus, facile intelligemus. Studiamus pares esse spiritu, hoc est, humiles corde, verbis graves, animo prudentes, loquendi pauciores..., legendi studiosiores, non in incerto divitiarum, sed in Deo et precibus assidius spem reponentes» (fol. 171 v°). Paulo post encomium non

minus admirativum scribit : « Haec est Regula dignissima, quae aureis describatur litteris, nec umquam ex piorum hominum deponatur manibus. Nulla fere in ea periodus est aut sententia, quae non praeceptum salutare vel singulare aliquod divinum plane exprimat mysterium. Hanc B. Augustinus, in superna migrans, nobis filiis suis reliquit ut illius semitis atque vestigiis inhaerentes, post haec futura loeti ipsum ad gaudium aeternum subsequamur... Age itaque humillemur sub potenti manu Dei, nos... tota devotione eius misericordiae committentes, deprecantesque ut ipse nos custodire dignetur ab insidiis inimicorum omnium, ad Ecclesiae suae aedificationem et profectum, animarum multarum ad salutem, laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in saecula. Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia Dei » (col. 184 v^o). His verbis, finem imponit commentator Panhausen Commentario suum in ipsum « Regulae » textum.

1. Ad varios libros in hoc volumine manuscripto gressum faciendo, primo nobis occurrit *Vita praeclarissimi et incomparabilis Ecclesiae Doctoris, invictissimique propugnatoris D. Aurelii Augustini presbyteri; necnon Hypponensis Ecclesiae Episcopi, summa diligentia ex libris Confessionum eiusdem...* (fol. 1-10). Contentum huius « Vitae » penitus inspicienti, Augustinum proponit Panhausen veluti exemplar pro omnibus fidelibus, in specie pro religiosis. Est enim Augustinus natus « ad totius Ecclesiae publicam utilitatem »; datusque « divinitus ». Vita eius hic describitur « maxime quae viris piis et religiosis summam utilitatem conferre possit » (fol. 1). Eventus expositi in hac « Vita » potissimum sub angulo vitae moralis ipsius Sancti, et sodalium Ordinis referuntur et describuntur. Huius scribendi rationis sufficiat unum hic exhibere specimen : « Nihil magis noxium, nihil adolescentiori pestilentius quam incerti ocio divertere. Fuge igitur o iuvenis ocium, fuge occasiones, quem vel etiam fortissimos in laqueum nefariae libidinis aliquando pertraxerunt. Habe consuetudinem cum castis et integris, crebram memoriam mentis recolas, occupa animum lectione sacra ac meditatione rerum coelestium » (fol. 2 r^o). Relate ad sectam Manichaeorum, cui Augustinus aliquando adhaeserat, severe loquitur Commentator noster. Manichaei sub coloribus atris describuntur. « Ad his historionibus impositum est Iuveni, nec diutius inhaesit impio dogmati, et fortassis ab hoc ipsum Dominus passus est illum ad tempus labi, ut efficacius alios ab errore pestifero vel

arceret vel revocaret» (fol. 3 r^o). Interim vero Augustinus intendebat «sapientiam veram, quae nimirum certissima via foret ad agnitionem Dei et religionis cultum observandum» (fol. 3 r^o). Doctrinae Manichaeorum ipsum tamen non diu fidelis remansit. Perspiciebat enim «inanibus verborum fumis, magis quam solidis rebus apud litteras sacras» (fol. 3 r^o). Sequitur commoratio Augustini in civitate Mediolanensi. «Qui cum frequens divi Ambrosii esset auditor, eius opera incensus studio Christianae vitae mox cum eodem consuetudinem et amicitiam instituit» (fol. 4 r^o). Sanctae eius Mater Monica filii sui oblita non est. Est foemina certe haec Monica omni laude superior, omniumque saeculorum memoria (si qua alia) forma, exemplum et speculum parentibus omnibus, quo in liberos studio, quo debeant esse affectu» (fol. 7 v^o). Mediolani Augustinus perfecit suam formationem catholicam et spiritualem. Non sistit tamen in arida inquisitione intellectuali, quamvis philosophiae sanae momentum nullo modo despiceret. Nam, ita Panhausen, «Non haec est via qua ad salutem tenditur. Opus est factis, et non scientia; opus est rebus, non verbis, non otiosis verbis; neque in sermone, sed in virtute est regnum Dei» (fol. 5 v^o).

2. Sequitur satis longa praefatio in «Regulam S. Augustini». In qua explicare intendit cur et qua ratione leges in omni vita communitatum, etiam proinde in communitatibus religiosis esse necessarias. «Omnes populi legibus et constitutionibus sacratissimis reguntur; et ii demum mihi vivere et anima frui videntur, qui vitam suam iuxta illas, veluti ad lydium lapidem metiuntur, pie et iuste viventes in hoc saeculo, exspectantesque beatam spem et adventum Domini nostri Iesu Christi» (fol. 11 r^o). «Officium legum est, honesta suadere, necessaria iubere, prohibere iniqua, permittere licita, quae etiam minus licita, ut vitentur graviora» (fol. 11 v^o).

Summa syntheseos eorum quae in «Regula» edicuntur in hoc consistit: Amor Dei et proximi est ante omnia fovendus! Forma ac species sanctissimae doctrinae «Regulae» hac ratione indicantur: «Haec summa est, ut Deum qui secundum infinitam bonitatem suam, coelum et terram et reliqua omnia, quae amplissimo coeli complexu detinentur ad hominum profectum et utilitatem creavit, pure semper omnia diligamus, et proximos sicut nosmetipsos... Omnia praecepta huc tendunt ut charitas vinculum perfectionis super omnia conservetur ac foveatur» (fol. 13 r^o). Praecepta «Regulae» non coarctantur ad observationem eorum externam. «Non sufficit

exterius obtemperare magistratui, nisi ex intimo cordis affectu, sublimiter sentiaris de eo» (fol. 15 v^o). «Ponamus itaque corda nostra super vias nostras dicentes :

Quid iuvat hirsuta pro Christi nomine palla
Et cum Norberto belligerasse duce?
Quid iuvat Aegyptos fulvo spoliasse metallo?
Si Pharaon aequoreas non sinit ire vias!
Quid iuvat enim mundi saltus posuisse tumentes?
Quid iuvat innumeros deservisse iocos?
Quidque ex hoste iuvat, clarum sperasse triumphum,
Dum spernis pugnam continuare tuam?
Quid iuvat in stadio duros superasse labores?
Si meriti bravium non detur inde tibi?» (fol. 15 v^o – 16 r^o).

Vita siquidem religiosa apud sodales huius vitae conatus continuos supponit. Quod, eheu, non semper ab omnibus et singulis sufficienter prae oculis retinetur. «Illud gravius acerbiusque ferendum videtur hodie, cum vehemus quoddam atque importabile odium totius orbis nuper sit ex gravissimis sacerdotum ac cleri moribus conceptum : tam paucos tamen adhuc esse, qui offensionem vitae teneant modestia atque integritate... Vigilate charissimi dum tempus habetis, et convertite pedes vestros in testimonium Domini» (fol. 16 v^o). Eam ob causam intendit abbas Panhausen commentarium «Regulae» proferre. «Plures eruditi, ita pergit, (nomina eruditorum illorum non indicantur) in Regulam D. Augustini scripserunt, quorum opera ac diligentiam in his commentariis nostris nonnumquam uti, etiam adiut sumus... Si ex hoc nostro labore aliquem pietatis fructum hauserint, non fraudabimur desiderio nostro; vel quod ultra ad virtutum decus currentes adiuvimus, vel calcar addiderimus» (18 r^o).

Praefationem illam terminat commentator his verbis : «Lector foelix esto. Obedientia, castitas et paupertas, bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, quae si exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est» (fol. 18 v^o). Ac paule ante carmen subiungit :

Carmen ad lectorem.

Sunt bona, quaedam mediocria, sunt mala plura.

Sed nihil est hic chare puer quod laedere possit.

Omnia sunt dudum sanctis dictisque probata.

Nunc secure potes virtutum carpere flores.

Est legum servanda fides suprema voluntas.

Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est.

1570.24 Iunii (fol. 17 v°).

3. *Commentarius* ipsius «Regulae» unam sententiam Regulae, iuxta textum, explicationibus et commentariis ornat. Themata praecipua huius Commentarii breviter indicamus. Themata illa tandem aliquando alia non sunt quam expositio thematum traditionalium pro vita genuine religiosa.

Argumentum totius «Regulae» est : Diligere Deum et proximum (fol. 19 r°). Quod quidem praeceptum, in praxi observandum in communitatibus religiosis, plures aspectus secum trahit. Siquidem : «Vos quoniam fratres in tramite curritis uno, currite quo sitis membra beata Dei» (fol. 21 r°). «Coenobia religiosorum atque sanctorum hominum qui quanto longius se a spinis mundi dimovissent, tanto diligentius scripturas sacras evolverunt. Breviter, talis eo tempore status collocatus fuit, ut in eo vigeret concordia, vigeret iustitia, religio vera, et quae supereminet omnem sensum, charitas atque unanimitas... Nihil cohabitatio prodest, nisi adsit animarum unitas atque consensus» (fol. 21 v°). In hac ultimo puncto describendo, sistit satis fuse auctor. «Demum vestra exterior cohabitatio atque unio, sicut formam recte vivendi in se habet, ita interiora quoque habitus unionem contineat atque praesentet. Quatenus dum in loco uno exterius congregamini, sic et interius vinculo charitatis et dilectionis uniti coalescatis in Deo; iuxta illud quod scriptum est : Multitudinis credentium erat cor unum et anima una» (fol. 22 r°).

Fuse exprobat vitium proprietatis privatae apud Religiosos. Alludit sub hoc respectu ad decretum S. P. Innocentii (quin indicet fontem e quo hausit hoc decretum) : «Age nunc Innocentii Pontificis Maximi decretum super proprietariis, audiamus : Sic enim habet. Quod si proprietas apud quempiam Monachorum in morte fuerit inventa, ipsa cum eo in signum aeternae perditionis extra monasterium in sterquilinio subteratur» (fol. 24 v°). Insistit praeterea in servandis clementis essentialibus vitae religiosae : obedientia, paupertas, castitas (fol. 24 r°). Vita coenobiorum non concipitur absque Superioribus. Munus horum sic describitur : Prudentium praelatorum est vultum sui pecoris mores quoque et vitam suarum cognoscere, ut unicuique non solum in victu et vestimento necessaria providere; verum enimvero in aliis quibus-

dam rebus, veluti in disciplinis exercendis, iuxta charitatis et regulae praeceptum, iudicium facere; quia scriptum est: Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate» (fol. 26 v^o). «Locus non facit sanctos, sed bona operatio sanctificat locum et homines» (fol. 27 v^o).

Nullus in coenobiis superbiat: nec divites, nec pauperes sodales communitatis. Fuse pericula superbiae coniuncta aut ex ea provenientes, considerat. «Occurrit forte fortuitu e schola Sorbonica quispiam (nomen huius Doctoris Sorbonici non indicatur), qui fumum oculorum eius excutiat, ut rectius mores vitamque suam contemplare possit inquiring. Hic homo communis sensus patitur defectum, non est in hoc mentis sanitas, aliud in oculis suis versatur, quam in nostris. Tum inflatus miser ille, qui iam dudum omnem sapientiam sibi soli creditam existimabat, et nunc se despici considerans, alios sibi soli praeferri honoreque affici; ipsius vero nullam praeter insipientiae et stultitiae notam fieri mentionem» (fol. 35 r^o).

«Bonorum duo noscuntur genera, unum quod ad animam, alterum quod ad corpus et bona exteriora pertinet. Hinc gentilis rethor quidem Christiane admodum scripsit (in margine: Sallustius, De coniuratione Catalinae), inquiring: Omnis nostrae vis in animo et corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum cum diis commune, alterum cum belluis» (fol. 35 v^o).

Peccatum omne vitandum est. Peccatum enim» vulnus internum et spirituale est, multo gravius omni corporis vulnere. Quamobrem multo longeque excellentius agit, qui morbum cordis indicat, quam qui corporis vulnus detegit. Et, sicut vulnus spirituale deterius est corporis laesione; ita et putredo spiritualis nocentissima» (fol. 87 v^o). Sub hoc respectu citat epistolam S. Pauli ad Phillippenses, scribentis: Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Etiam textum S. Gregorii Magni, scribentis in suo Pastoralis: «Summus locus tum optime regitur, cum is qui praeest, non fratribus sed vitiis dominatur» (fol. 95 r^o).

Non vero sistit abbas Panhausen in vitiis exprobrandis: Extollit insuper fuse beneficia allata a vera charitate. «Faciamus ut parentem nostrum sanctimonia vitae referamus, quo digni sumus quod ille (id est: Deus) perpetuo diligat. Sic autem obtinebit ille perpetuam charitatem erga nos, si nos mutuam inter nos charitatem obtinuerimus» (fol. 102 v^o). «Charitas omnium virtutum mater est, ipsa radix omnium bonorum, ipsa via illa sublimior, quae ad coelum tendit» (fol. 105 r^o).

Singulae propositiones in «Regula» expressae hac ratione ab Abbate Panhausen successive commentario apto ornantur. Vita vere communis extollitur (fol. 104 v^o-105 v^o). Infirmi debite, secundum statum et naturam infirmitatis tractentur. Munus et obligationes Praelatorum iteratis vicibus describuntur. «Ad hoc praecipue in Ecclesia Dei Praelati constituti sunt, ut bene ordinata custodiant, errata corrigant, vitam et subditorum mores verbo et exemplo conservent» (fol. 140 v^o).

«Serviat suis fratribus ex charitatis dulcedine, non spiritu elationis; resideat in Ecclesia sibi commissa, quo facilius et commodius subiectos regere, et in vitae ac morum honestate continere possit, et se pastorem non percussorem esse, atque ita praeesse subditis oportere meminerit; ut non in eis dominetur, sed illos tamquam filios et fratres in Christo diligit, hortando et monendo ab illicitis deterreat; ne ibi metas aequitatis et iustitiae transscenderint, debitis poenis coercere cogatur» (p. 145 v^o).

Prudentia, sane intellecta, ornamentum sit Praelatorum. «Integritas prudentium, salus est subditorum» (194 r^o). Ideo «cogitet quam molestum sit peiores melioribus nominare, dementioresque prudentioribus praescribere». Iuxta adagium: «Eiusmodi se fero profiteatur ac praestet, quales sunt leges quibus praesidet» (fol. 149 v^o).

Satis fuse tractat de negligentis quae etiam apud Praelatos occurrere possunt. «Disciplina est membrorum ordinatus motus, decensque dispositio in cunctis rebus peragendis» (fol. 160 r^o). In momento et ratione promovendae disciplinae regularis ad elementa vitae concretae descendere non vacat. In commentandis verbis «Regulae»: «Disciplinam lubens habeat, metuendus imponat», consilia practica proponit. Audiamus commentatorem Panhausen: «Hic etiam atque etiam curandum, ne delatorum querelis facile praefatus fidem habeat, etiamsi patientes aures adhibere contigerit. Ubi enim pars altera agentis est, altera depellentis, utraque audienda est, et diligentissime quidem, antequam se in suspenso tenenda. Caveat etiam iudex, ne blandimentis et adulationibus veluti Sirenum cantu improvidus capiatur, sed magis a conspectu propulset. Suspicionibus nisi iis quidem violentis et maximis, caveat ne quid temere agat. Benigna potius utatur rerum existimatione, et veritatem ipsam gravitate atque prudentia excutiat, quae quidem virtus iudici est maxime propriae. Curet ut amore semper coniuncti sint, horum tamen praestantior est amor» (fol. 160 v^o).

Ad finem suae expositionis fere perveniens, encomium praeclarum profert de necessitate absoluta gratiae divinae in omni vita genuine

christiana, a fortiori in vita religiosa. In qua expositione (mirum quodammodo videri potest Panhausen in hac re non pluries allusionem facere ad multiplices textus S. Augustini agentes de necessitate absoluta gratiae divinae) sistere fere unice in textibus depromptis ex epistolis S. Pauli. «Deus est omnium rerum principium, forma et finis; quippe ut principium efficit omnia, ut forma est omnium rerum ordo, ut finis, ad quem reducuntur omnia» (fol. 167 r°).

Tandem, versus finem commentarii in «Regulam», haec scribit Panhausen in laudem «Regulae»: «Haec est Regula, regula, inquam, dignissima, quae aureis describatur litteris, nec umquam ex priorum hominum deponatur manibus... Hanc B. Augustinus in superna migrans, nobis filiis suis reliquit ut illius semitis atque vestigiis inherentes, post haec funera loeti ipsum ad gaudium externum (quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit) subsequamur. Quae enim lingua vel mens dicere aut intelligere interesse, spiritibus beatis cohabitare, gloriae conditoris assistere, praesentem Dei vultum contemplari, incircumscriptum illud lumen videre, nullo metu affici et incorruptionis perpetuae munere loetari. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Et quoniam scimus a quo dictum est: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit. Et sine me nihil potestis facere. Age itaque humiliemur sub potenti manu Dei, nos, ac domum hanc Steinfeldensem tota devotione eius misericordiae committentes, deprecantesque ut ipse nos custodire dignetur ab insidiis inimicorum omnium, ad Ecclesiae eius aedificationem et profectum, animarum multarum salutem, laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in saecula. Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia Domini. Amen» (fol. 184 v° s.).

4. Commentario de «Regula» S. Augustini protracto ad terminum deducto, alio sub respectu abbas Panhausen de eadem Regula annotationes satis large conceptos proponit. Contentum et intentum huius alterius «Commentarii» ab ipso auctore clare indicatur in titulo. Qui sic sese habet: *Annotationes breves seu verius Collationes Scripturarum correspondentium in Regulam B. Augustini Episcopi, per eundem qui supra. In quibus apte convincuntur inimici Christianae religionis qui affirmare conantur Regulas Patrum meras hominum constitutiones et nugas, cum tamen firmissime ex Dei Verbo constet, uti singulis paragraphis patebit ex ordine. 1573.* (foll. 186-213). Hoc titulo, satis protracto, scimus quidnam vere intenderit Auctor in collatione harum

Annotationum. Iterum in hoc «Commentario» dictae «Regula» iuxta ordinem textus traditi indicantur et considerantur. Ut ex his annotationibus patefiat ea quae in «Regula» proponuntur, non esse nugae mere humanas, sed inniti plurimis textibus S. Scripturae; proinde gaudere firmamento firmo sub respectu fidei. Nullomodo autem hic agitur de longa simplici enumeratione seriei textuum in S. Scriptura expressorum. Textus hic prolati apte iunguntur ad hoc ut scopus expositionis clare pateat; proponere nempe speculum pro vita religiosa genuine sectanda. Textus scripturistici desumuntur tum e libris Veteris Testamenti, tum Novi Testamenti. Insistendo tamen, ubi agitur de textibus Novi Testamenti, in textibus haustis ex Evangeliiis et Actibus Apostolorum. Ut appareat S. Augustinum proponere velle vitam genuine «apostolicam». Expositionem suam complet Panhausen his verbis: «Vos nostra complectitur cura et sollicitudo in dulcedine charitatis et mentis loetitia: vobis ut filios charissimos potissimum hic noster desudavit labor et industria, vobis natus, vobis datus, quantus a ille fuerit. Nobis quidem difficillimum foret, divites illos qui in Gazophylacium plurimum aeris intulerant, imitari. Sufficiant igitur duo minuta aut quadrans, quae utinam Deus imprimis, vestra charitas hilari animo de manibus nostris suscipiat, aequae beneque consultat. Hoc Deo acceptissimum, nobis perpetuo gratum foret, et vestris officiis res dignissima. Foeliciter valet et precibus vestris continuis me commendatum habetote. 1573.» (fol. 212 r°).

5. Sequitur in serie operum I. Panhausen alius tractatus. Titulus huius tractatus ita sonat: *Ad Praelatos et subditos pia exhortatio, desumptis argumentis ex verbis: Quis ascendet in montem Domini, etc. (ps. 23). In qua abusus et vitia nonnulla tum Praelatorum, tum subditorum notantur. Eodem authore.* (foll. 213-226). In fine huius tractationis (fol. 225 s.) legitur Carmen lugubre ipsius auctoris, in quo veniam rogat «pro negligentis admissis deprecatio supplex. De isto carmine iam supra sermo fuit (p. 151). Etiam in hac tractione saepius reflectitur ad «Regulam S. Augustini». Iam inde a primis verbis scribit: «Regula B. Augustini Episcopi post Dei et proximi amorem circa duo potissimum versatur. Praelati scilicet reginem, et subditorum exercitium» (fol. 213 r°). Abbas Panhausen, experientia edoctus, perspexit non omnes et singulos sufficienter curare de promovendo bono in actibus suis. Hoc proponit tum pro Praelatis, tum pro subditis. «Nonnulli a suo longe abhorruerunt et officio, ubi primum in eam sunt promoti praelaturae dignitatem, tum demum insolescere

incipiunt? Et quorum numero alii in tam eximium honoris gradum elatos putant, ut neminem prae se ferant hominem, et eo se sanctiores esse, quo superiores existimant, dignitatis dumtaxat facta mutatione, non mente» (fol. 214 r^o). Fuse de mente hac minus recta agit auctor. «Deinde videndum erit de religiosorum ac monachorum vita, anne in vano acceperint animas suas, aut in vovendo perperam iuraverint Praelatis suis, promissam fidem irritam facientes, ut sic a consensu montis illius aliquid apud eos et retardare, et remorari queant» (fol. 217 v^o). Talibus in genere dictis de defectibus personalibus quae apud religiosos occurrere possunt, gressum facit ad varia puncta pecuniaria inculcanda. Ordo retinendus in vita christiana, in specie in vita religiosa, in tria genera dividitur. «In ea quae vere coelestia, quae tamquam Christo pecuniaria sunt, ubique rebus omnibus anteponenda» (fol. 219 r^o); praeterea «necessarium pro totius Reipublicae statu, concordiaeque tuenda, idque nullo modo perturbandum» (fol. 219 r^o). Negligenda proinde non est obedientia in praxi praestanda. Sequitur expositio de valore silentii monastici. Siquidem silentii virtus est «pacis custos, religionisque fundamentum ac thesaurus inaeestimabilis» (fol. 219 v^o). Pergit de eadem materia tractans: «Linguae religiosae continentia, et verborum parsimonia, virtute pietateque naturae societatem adducit. Silentio enim vos nutritur et conservatur. Eo siquidem neglecto, facile in scelus omnes religiosorum decus praeceps ruere necessum est. Declinant enim quidam in verbo malitiae, dum lingua laxatur, atque ob ocioso verbo ad innoxia quaeque rapiuntur ad murmura, ad detractiones et mendacia, quae sacris litteris refragantur: Abominatio est enim Domino labia mendatia, et detractores Deo odibiles sunt. Ex his ab convicia et maledicta pronus est animus. Hinc ad lites contentionesque evagatur. Habet hoc vitii lingua petulam, quod suis terminis minime contenta, verum etiam exitiale venenum suum in alios plurimos transfundit, raucisque loquacibus implet omnia» (fol. 219 v^o). Paulo post redit Panhausen ad silentii necessitatem et utilitatem. «Magna est humanae linguae utilitas, si quis est corruptus pravis cupiditatibus, odio, ira, fructus trahit saporem, ita ex eo quod reconditus est in corde, opplevit oratio. Ut bonus homo de malo thesauro cordis profert mala. Quorum cor opplevit pietas, opplevit charitas, verba loquuntur charitatem pietatemque redolentia, quae in cordis recessu latuerunt» (fol. 220 v^o).

6. Alia tractatio in isto volumine contenta (fol. 227 r^o-242 v^o), hunc

titulum prae se fert : *De commiseratione erga proximum, Dilectione atque eleemosyna*. Tractatio ista sic composita est ut plures textus S. Scripturae referat, ex utroque Testamento depromptos. Thema pluribus considerationibus ornatum ita brevibus verbis indicatur : «Quia Clerum ac Religiosum his virtutibus maxime ornatum esse decet, ad hos nostra imprimis decurret oratio : equisque auribus obsecramus, quid Philosophorum omnium maximus Sophus (ex contextu patet hac ratione indicari Christum) : Beati inquit misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et aliud quidem vestigiorum Christi humilis insectator : Iudicium sine misericordia illi futura, inquit, qui non facit misericordiam» remittitur ab auctore ad dictum S. Iacobi in sua Epistola canonica, cap. 2) (fol. 227 r°). Tractatio terminatur oratione, quae sic sonat : «Oremus Deum Patrem Omnipotentem, intercedente prece sanctorum omnium Dei famulantium, quatenus divinus horror reflorescat in terris, lumen Catholicae veritatis effulgeat, populusque Christianus sana doctrina enutriatur, et ad quietem perpetuam perducatur, nosque cum illo Dominus noster Iesus Christus in aeterna tabernacula sua perducere dignetur. Qui est cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus benedictus in saecula. Amen; 1572». (fol. 242 v°).

7. Sequitur (foll. 244 r°-264 r°), alia tractatio : *Tractatus de Monasticae Vitae cultoribus atque Religiosorum votis et quam potissimum ob causam haec religio instituta et unde suam originem traxerit, contra id Iohannis, 1, cap. 2 : Omne quicquid est in mundo, concupiscentia carnis*, etc. De Ordine Praemonstratensi, praecise qua tali, directe non agit Panhausen in hoc tractatu. Sed prae oculis habet et retinet instituta religiosa in genere. Themata potiora, quae plus minusve penitus considerantur, huc redeunt : Peccatorum diversa dantur genera. Describitur mundi malignantia. His prae oculis retentis, oratio et conversio ad Deum magnum praebet adiumentum. Ex illa veritate retinenda, explicanda est origo monachorum; solitudo enim summopere nata est adiutorium praebere in sectandis votis ad Deum conversis. «Reiecto retrorsum saeculo cum suis cupiditatibus, ornatu vano, deliciisque fallacibus, scabie quoque et collusione morum temporum reiecta in deserta et abdita loca, vastumque heremum inter nemora et arenas sese transtulerunt» (fol. 245 v°). Vita illa specificè religiosa paulatim ad plenam evolutionem venit. «His quoque insigniis religiosorum hominum coetus in Domino Deo suo confortatus, demum potentis virtutis eius munitus, tamquam miles inducitur lorica fidei

et armatura Dei atque alacriter ut gigas procedens ad currendam viam mandatorum Dei» (fol. 247 v^o). Contra mundi et diaboli doli fraudes, contra tres mundi concupiscentias, fides est veluti lucerna ardens in manibus. Ad firmandam vere christianam libertatem habentur vota. Quod non impedit etiam apud religiosos occurrere abusus. Et facta non probanda. De facto existunt variae religionis communitates. «Non te moveant adversariorum sannae, quod in monasteriis diversus sit ordo, et vestitus sit varius, non itidem animus, nimirum quibus ad cor unum et animam unam, invocant et reverentur, tum qui in alba, tum qui in nigro aut quovis alio teguntur colore aut pallio. Unam habent fidem, unam spem in Deum, eundemque diligunt ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus suis!» (fol. 251 r^o). Fuse deinde describit quid vere contineatur in voto castitatis, in voto paupertatis et obedientiae. Concludit tractationem his verbis : «Quaeso te igitur mi Domine creator et redemptor clementissimus miserere super peccatore et misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitae meae, ut tandem inhabitem in domo Domini in longitudine dierum, navigiumque nostrum ad tranquillum portum omnisque perturbationis expertem tua pietate deducere digneris, ubi naufragium nec ullam animi deiectionem aut dolorem metuere possit. Tibi sit gloria, honor et imperium, una cum filio tuo Unigenito et Spiritu Sancto in omnia saeculorum saecula Amen» (fol. 263 v^o-263 r^o).

8. Sequitur tandem ultima tractatio (fol. 264 v^o-275 r^o) : *Tractatus : Quod murmur et abominatio abominabiles sunt coram Deo et Homini-bus. Inde de mendacio et septem capitalibus Peccatis in ordine retrac-tatis*.

Titulus iste sufficienter indicat contentum tractationis istius. Audiamus primam propositionem : «Quemadmodum luxuriae prorsus pestis omnia naturae ornamenta dissolvit atque consumit; ita murmur et obtrectatio omnem filiorum Dei communionem, pacem et tranquillitatem disturbant, lacerant atque deformant. Hinc dilectissimi sermo auribus et mentibus vestris debetur, quem ut Deus dederit, fidei animo in sinum vesrum transfundere conabor» (fol. 264 v^o).

Expositione fere ad terminum deducta, haec profert abbas Pan-hausen consilia : «State in sollicitudine et devotione mentis in hac schola Christi ex auditorio speciali, audite inquam auribus cordis vestri, quid loquatur Dominus Deus vester. Sed nunc ad finem properantes his valedicimus. Sed quandoquidem mysterium hoc diligentius quoddam examen et inquisitionem postulat, quod reliquum

est familiae nostrae scholae Steinveldensis examinandum discutendumque relinquimus. Quod si operam suam in hoc pio sanctoque negotio fideliter praeterint (uti non diffidimus) magnam cordi nostro loetitiam gaudiumque pariet eorum labor et profectus. Nos autem abunde satisfacisse arbitramur quod viam aliquam ostenderimus, per quam ipsis ambulandum. Ambulent igitur dum lucem habent et bonus angelus comitetur illos» (fol. 274 v^o). Finem tractationi hunc apponit : «Deponite igitur prorsus si quid est doli, si quid immunitiae, si quid detractionie aut maledicentiae, posthac quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo, lac concupiscentes, non illud corporis, sed animi lac, doli nescium, donec adolescatis ad perfectam virtutem. Quod omnibus nobis tribuere dignetur Pater ille coelestis cum Filio et Spiritu Sancto vivens in aeternum, quorum sapientia reguntur universa in coelo et in terra, omniaque in coelo et in terra, omniaque quae cordis ambitu continentur» (fol. 275 r^o). Sequitur, litteris graecis : Eulogyptos Deus (Benedictus Dominus).

Abdijstraat, 1
B-3281 Averbode

J. B. VALVEKENS, O. Praem.